

XXIV. *The Botanical History of the Genus Dillenia, with an Addition of several nondescript Species. By Charles Peter Thunberg, Knight of the Order of Wasa, Professor of Botany and Medicine in the University of Upsal, Foreign Member of the Linnean Society.*

Read December 7, 1790.

INTER arbores illas Indicas, quarum figuras et descriptiones nobiscum communicarunt illustriss. Rheede in Horto Malabario et Rumphius in Herbario Amboinensi, DILLENIAE Genus certe adeo speciosum sese offert, ut ulterius et accuratius nostrum examen merito mereri videatur. Hujus speciem non nisi unicam, à Rheede ab *Ouds Hoorn* commemoratam, illustris à Linné in Systemate suo sexuali collocavit, ac minus juste huc retulit *Songium* Rumphii, qui quidem, uti etiam ejus *Sangius* valde dissimiles et distinctæ sunt, atque sic etiam tres diversas constituunt species. Postea, sub meis in insula Ceilona excursionibus botanicis, tres alias et quidem valde ab invicem distinctas species indagare mihi contigit, sic ut sex sint, quæ sub Dilleniæ pulcherrimo genere, jam militent species. Has omnes, breviter descriptas, novasque depictas, non indignas fore credidi, quæ inferantur Actis Societatis, quæ non modo pro incremento Historiæ Naturalis, et imprimis Botanices, sed etiam pro ulteriori ejus reformatione sedulo vigilare sibi proposuit.

Character generis, in Generibus Plantarum Linnæi allatus, vituperandus omnino non est, licet ill. botanicus ipse ipsam non vidisset
 3 plantam



Dillenia integra.

plantam vivam vel ficcatam, sed ex descriptione et figura Rheediana illam descripsisset, et licet, quoad reliquas species, parum emendandus erit.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliola* obovata, obtusa, concava, coriacea, intus glabra, extus villosa, persistentia.

COROLLA pentapetala, decidua. *Petala* obovata, inferne attenuato-angustata, obtusissima, tenuissime subcrenata, concaviuscula, calyce longiora.

STAM. *Filamenta* subnulla, sed

Antheræ numerosissimæ, germinis basi insertæ, lineares, aurantiacæ, linea nigra exarata, calyce breviores.

Pollen flavum.

PIST. *Germen* superum, ovatum.

Styli plures, erecti, simplices, antheris longiores.

Stigmata simplicia.

Fructum maturum videre non licuit.

Species.

I. *D. integra*: (TAB. 18.) foliis obovatis obtusis subintegris, pedunculis unifloris.

Crescit in insula *Ceilon*, Indiæ Orientalis.

Ceilonensibus: Gudapara et Runumidale.

Arbor ramis alternis, rugosis, fuscis, glabris.

Folia alterna, petiolata, obovata, obtusa, a medio ad apicem ferrulata ferraturis obsoletis vixque manifestis, utrinque glabra, coriacea, supra viridia, subtus pallidiora, nervosa nervis alternis parallelis sursum curvis, utrinque inter nervos tenuissime reticulata, patentia, subspathamæa, palmam lata.

Petioli semiteretes, canaliculati, villosi, pollicares.

Flores

Flores in ultimis ramulis terminales, subsolitarii, pedunculati.

Ufus: Decocto foliorum utuntur Ceilonenses ad ulcera depuranda.

2. *D. speciosa*: foliis oblongis, rotundato-acutis denticulatis, pedunculis unifloris.

Crescit, ut asseverat Rheede, in *Malabaria*; in *Java* ipse inveni crescentem.

Dillenia Indica, Linn. Syst. Veget. xiv. p. 507, Spec. Plant. p. 754, excluso synonymo Rumphii.

Syalita Malabaris, Rheede Hort. Malabar. tom. iii. p. 39, tab. 38, 39.

Arbor excelsa ramis crassis, rugosis, cinereis, glabris.

Folia alterna, petiolata, oblongo-rotundata, obtusa cum acumine, undato-denticulata, parallelo-nervosa nervis suboppositis, supra glabra, subtus obscura, fuscescentia, subpedalia, palmam lata.

Petiolus crassus, brevis, vix pollicaris.

Flores terminales in ramulis, solitarii, pedunculati.

3. *D. elliptica*: foliis elliptico-ovatis acutis ferratis, pedunculis unifloris.

Crescit, ex auctoritate Rumphii, in *Amboina*, *Celebe*, *Macassar*.

Songium Rumph. Herbar. Amboin. tom. ii. p. 140, tab. 45.

Folia alterna, petiolata, elliptica, acuminata, argute ferrata, nervosa: nervis oppositis, parallelis.

Flores terminales, solitarii, pedunculati.

4. *D. retusa*: (TAB. 19.) foliis obovatis truncatis ferratis, pedunculis unifloris.

Crescit in Ceilonæ fylvis.

Arbor ramis alternis, rugosis, fuscis, glabris.

Folia alterna, approximata, petiolata, obovata; inferne attenuata, integra;